

www.e-rara.ch

Gyges Gallus, Somnia Sapientis, & Genius Sæculi

Zacharie

Parisiis, Anno M. DC. LXV

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-49168>

Nobilissimo et integerrimo viro, Renato de Longueil [...].

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



NOBILISSIMO ET INTE-
GERRIMO VIRO,

RENATO DE
LONGUEIL, DO-
MINO DE MAISONS,
IN SUPREMO GALLIA-
RUM SENATU
PRÆSIDI INFULATO.

PETRUS FIRMIANUS
Salutem!

VT *suprà ceteros plaseres, Vir
Nobilissime, teq³ operis huius
patronum nuncuparem, effecit
jam perspecta mihi singularis vir-
tus tua, quam antehàc solâ fama perillustis
commendatione acceperam. Non is sum
quem facile decipiat secundus rumor: quan-
tis imponere soleat, scio: ubi de merito sta-
tuendum est, suspiciosus senex, nec solâ etate,
sed*

te, sed & experientiâ trepidus, expecto oculorum suffragium. His te probavisti, Vir Illustrissime! securus te aestimo teq; colo. Tuis ille apud nos secessus, quem tantopere doluit Lutetia, hoc mihi beneficium contulit, ut tuis moribus fruere: sciremq; haud mentitam famam esse, quæ te simul ad ardua, & ad quieta genitum nuntiaverat. Vidi te, cum forensibus curis expeditus, eâ alacritate animi, atque constantiâ, aliis durissimam sortem excipiebas, ut strenuam, nec omnino vacuum joci ipsa quæ perculerat fortuna suspiceret. Comitatu tuæ nihil detraxit temporum iniquitas; alterum te hominem nemo vidit; cumq; te Senatus, optimam sui partem, te, sine quo fauste geri non poterant, ipsa quoque negotia expeterent, ostendisti in ipso otio stare posse felicitatem tuam. Quamdiu duravit injuria, inter amicorum paucissimos ita honestis remissionibus pacatissimum animum tradidisti, ut tamen potior esset cura pietatis, & te instaurante, quæ prius invenuste surrexerant, novâ impensâ, novoq; ingenio altaria niterent. Templis dispositionem, marmora, statuas dedit successio tuâ; ipsiusq; bene-

beneficium haud ingrati cives agnoscunt, modicâ in urbe jam conspici, quod vel in precipitis eximium sit. Nobilissimae stirpis tuae genus is est, divinis impensè studere. Magna adhuc annorum serie à viventium coetu aberas, cum tui maiores, Numinum simulacbris insensissimi, Deorum maximum eliquabant, tot saeculis cultum, ut ex Jove Capitolino, per vos Petrum emergere Roma jam Christiana letaretur. Stat adhuc eâ in urbe inter egregiae artis miracula, cum vestris insignibus, aneum illud Principis Apostolorum signum, & ubi jam tot Caesarum trophaea, vel edacibus annis, vel barbarorum sevitia perire, meliore fato, avite pietatis vestrae monumenta perseverant. Ut Religioni quondam officiosus esses, ostensa quam sequereris pietate, olim antecessores tui providerunt. Verum non tantum imitaris; praestas; & hinc tibi ingens gloria, gentilitiae virtutis, in sacrorum cura sedulitatem, atq; magnificentiam superavisse. Nec sola, cum remotus à turbis nobiscum degeres, pietas fulsit; mirati sunt in ceteris, quotquot te videre, integritatem tuam, simulque, (quod arduae affinitatis est)

tis est) sagax illud ingenium, quo aliquando,
 molestis plane temporibus, puero Rege aulâq;
 professis odiis conscissâ, creditum tibi era-
 rium ita curaveras Princeps Minister, ut
 damnosa profusione exhaustum prius, citò,
 nec iniquè tamen restitueres; civiumq;
 opinionè ad publicas solutiones Regius thesaurus
 haud sufficiens, datâ nominis tui fide jam
 propè rebellantes turbas sisteret, & à foede-
 ratis qui ad obsequium vocati martem suam
 venalem habent, solita auxilia mercare-
 tur. Fulgebat in eo secessu stirpis dignitas,
 quam per tot aetates cohonestaverunt, purpu-
 ra civilis; hereditarium tribunal; clarissi-
 marum urbium toties commissa sollicitudo:
 Praetores eximii, fortissima tradita sibi, non
 femel, Neustria propugnacula: legati, præ-
 cipuâ apud externos sapientiâ, suis Regibus cha-
 ri: sacrorum Antistitum longus ordo: Car-
 dinalitii deniq; culminis, in vestro Richardo,
 Eminentia, ut nihil vobis dare augustius
 ipsi Reges, aut supremi Pontifices possent.
 Hæc sunt, quæ te mihi præ cæteris charum
 spectabilemq; effecere: Sed dulcius fuit, quod
 quæ me genuit patria, tuos etiam maiores
 procrea-

procreavit, qui sub famosissimo Principe, Et
 ipsi inclyti superato oceano, subactisq; pri-
 mo certamine insularibus, inter victores nu-
 merantur. Nostras es, licet altera te, cuns
 tuis, in promptius Regum consilium, jam
 terra possideat. Ad nos utcumq; redibis,
 quoties indigena tui opus, ad negotiorum le-
 vamentum, placebit benignè invisere. Se-
 natoris vultus aliquando ponebat Cato, Et
 Deos ludentes saepe nobis poëta describunt,
 ut non erubescat presidum gravitas, ad in-
 genuas relaxationes è solio suo nonnumquam
 descendere. Quia tamen Sapientis volu-
 ptates severæ sunt, nihil tibi liber hic profe-
 ret quod omnino à seriis sublimem animum
 avertat. Vbiq; videbis Gygen te dignum, Et in
 ludicris quoque non degenerem philosophiam.
 Probabis viri ingenium, mores: una vobis
 erit de mortalium sorte, ac meritis sententia.
 Quod frustra optaverint plurimi, foelici vesti-
 gio percurres hoc opus, nam te per omnia in-
 tegerrimum nihil ledet in fontes quosq; li-
 berior insultatio: quin, gaudebis justissimâ
 querelâ oblique laudari equitatem tuam,
 damnariq; illas cupiditates, quas rectus, ac

similis tui, Judex nullus absolverit. Nec te
 enigmata terrebum, aut sistent; totus lux es:
 vel levi acie penetrabis quodcumq, humilio-
 ribus ingenis caliginosum occurret, aut et-
 iam impervium. Vbi Gygen reliqueris,
 alius succedet noctium suarum explanator
 haud illepidus, quo cum, si mihi fides est,
 non inutiliter aut injucunde so-
 mnabis. Vale!



ICON